

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christian Petersen

**Programma Natalitium, Qvo Rector Universitatis Rostochiensis, Johannes
Christianus Petersen, J. V. D. & Cod. Prof. Publ. Ordin. Miraculosam Christi E
Virgine Nativitatem Civium Academicorum meditationibus sacris substernit,
Utque corde virgineo, i. e. puro sanctoque, Eundem suscipiant, pro officii ratione
hortatur**

Rostochii: typis Io. Iac. Adleri, [1728?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876769458>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1728. Weihn.

A-1256 202.



M. 1728

PROGRAMMA NATALITIUM,
qvo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
JOHANNES CHRISTIANUS
Betersen,
J. V. D. & Cod. Prof. Publ. Ordin.

MIRACULOSAM
CHRISTI E VIRGINE
NATIVITATEM
CIVIUM ACADEMICORUM
meditationibus sacris
substernit,
Utque
corde virgineo,
i. e.
puro sanctoque,
Eundem suscipiant,
pro officii ratione
hortatur.



ROSTOCHII, typis IO. IAC. ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1256 202



Ativitatem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, ita Evangelista apertissime demonstrans ait, ut ostenderet eum ex Spiritu Sancto & Maria virgine natum, propter Hæretorum astutiam, qui negant DEUM hominem suscepisse. Sed ideo Dominus noster virgineum sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet in casto corpore DEUM portari debere. Ad hoc enim DEUS hominem suscepit in se, ut & nos DEUM suscipiamus in nobis, sicut ipse dicit, Mane te in me, & ego in vobis. O sacrum & coeleste mysterium in nativitate Domini! Concepit virgo, antequam sponsum haberet, parit, antequam nubat, & quod ad laudem pertinet nominis Domini, & mater & virgo coepit esse post partum. Virgo enim concepit, virgo peperit, virgo post partum illibata permanxit. Hisce verbis augustus Ecclesiæ Pater & lumen seculi, Hippomensium in Africa quondam Episcopus, AUGUSTINUS Serm. XIII. de Temp. Opp. Tom. X. nativitatem Salvatoris nostri descripsit, ut cui magnum mysterium subsit, quæque vel ex eo miraculosa, quod ex virgine contigerit. Non immiscebimus nos hoc loco concertationibus Criticorum de istis Sermonibus, utrum Augustini verè, num vero suppositiū sint? BELLARMINUS Lib. de Script. Eccles. Sec. V. ad Augustini Operum Tomum X. edit. Colon. 1684. p. 107. de iis: Credibile est, judicat, magna ex parte Augu-

Augustini esse. Quinam interim eorum genuini habendi non sint, indicant GVIL. CAVE *Scriptor. Eccles. Hist. Liter. Sec. Arian. i. e. IV.* p.m. 171. 172, & RIVETUS *Crit. S. Lib. IV. Cap. 16.* Lovanienses in suâ Operum Augustinianorum editione, quemadmodum in ROB. COCI *Censura Scriptor. Ecclesiast.* edit. Helmstad. p. 365. videre est, in tres veluti classes Sermones eos distribuunt, quod quidam indubitate ipsius Augustini, quidam manifesto suppositi, reliqui dubiæ minimaum fidei sint. Et inter hos etiam refertur, qui nobis allegatus, decimus tertius ille. Verum, quamdiu contrarium aperte demonstrari non potest, cur non eundem Augustino relinqueremus? Utut interim de illius Auctore sit, res tamen hic proposita congruit veritati, siquidem & magnum mysterium est, Filium DEI humanam assumisse naturam, hominemque natum esse, & miraculosum quid, virginem eum peperisse. De priori quidem quò minus hoc loco dicamus, prolixitas prohibet ac dicendorum de eo copia, per controversias & disputationes, quas hostes hujus mysterii movere, nimium aucta, cui capienda præsenti scriptio destinatum chartæ spatiū non foret. De posteriori proinde tantum, CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI! vice hac aliquales Vobiscum communicaturus meditationes sum, quo, sicut anniversarium celebramus hoc Festum, sic Festo huic convenientem excipiatis sermonem. Miraculosam, dixi, hoc tempore meditandam nobis esse Salvatoris ex virgine nativitatem. Quod enim omnes omnino naturæ vires excedit, DEUSque supernaturaliter operatur, quidn̄ miraculum æstimaremus? Et qui non attentam magis illud requireret considerationem nostram? At partus virginis res est omnem superans naturæ virtutem, nec ullum unquam aliud, cum veritate, allegari potest exemplum, quod, ut adducta Augustini verba habent, virgo conceperit, virgo pepererit, virgo post partum permanserit illibata. Evidem, ad postremum hoc quod attinet, fuere Seculo IV. in Arabia surgentes, ab antesignano suo Helvidiani, propter dogma vero Antidicomarianitæ dicti, qui negarent ipsum, Mariam, Christo nato, Josepho copulatam ex consuetudine cum eo plurium liberorum matrem

factam fuisse, contendentes, ex eo, quod Christus primogenitus
 illius filius dicitur *Matth. I. 25. Luc. II. 7.* Verum, etiam si nullibi
 Scripturarum expressè legatur, eam perpetuò virginem mansisse,
 abs Josepho postea nunquam cognitam; minime tamen contra-
 rium ex primogeniti nomine concludi potest. Non enim illud
 in se nomen ordinis est, plures sequentes posteaque genitos in-
 ferens, sed tantum antecedentes seu antigenitos negans. *Ej. XLIV. 6.*
 primum se DEUS vocat, non quod plures post eum
 exorti sint ejusdem naturæ ac essentia DEI, sed quod ante eum
 nullus existit DEUS, imo nec post eum, siquidem simul & ul-
 timus est, nec aliis prater eum, DEUS. Similiter etiam Christus
 Mariae & primogenitus & unigenitus est. Jusserat DEUS, *Exod. XIII. 2.* omne primogenitum sibi consecrari. Quis verò hoc non
 intellexerit de eo, ante quod aliud genitum non erat, sive plu-
 ra deinde sequerentur, sive minus. Si namque, quod primoge-
 nitum dicitur, ordinem inferret respectu postgenitorum, quomo-
 do Judæi DEO potuissent primogenitum offerre, nisi de subse-
 quuturis antea certo iis constitisset? Primogenitus igitur est *ute-
 rum matris aperiens*, prouti declaratur *Luc. II. 23.* Quare hoc Chri-
 sto inditum nomen perpetua Mariæ virginitati nullatenus dero-
 gare potest. Interim hi, de quibus & contra quos prolixius E-
 PIPHANIUS *Opp. Tom. I. Lib. III. Panar.* *Tom. II. Har. 78.* & HIE-
 RONYMUS *adversus Helvidium Tom. II. Opp.* videi poterunt, licet
 à partu DEiparae virginitatem impugnaverint, haud tamen eam
 ut virginem concepisse, ac ut virginem peperisse, negare ausi
 fuerunt. Nec quisquam, utriusque Testamenti Scripturam pro
 Verbo DEI agnoscens, erit, qui hoc in dubium vocaverit. Ju-
 dæorum autem incredulitatem & blasphemias non curamus, qui,
 sicuti Christum, negatâ illius DEitate, pro naturali homine ha-
 bent, ita eundem ipsum, sese Mariæ filium, à Josepho progeni-
 tum esse, Apostolis suis confessum fuisse, mentiuntur, teste EI-
 SENMENGERO in dem Entdekt. *Judenthum Part. I. Cap. 7. p 291.*
 quemadmodum etiam, cum in terris adhuc visibiliter ageret,
 viventes tum increduli Judæi eum Josephi, & fabri filium
 putabant ac appellabant, *Matth. XIII. 55. Marc. VI. 3. Luq. IV. 22.*
Job.

Joh. VI. 42. Sed inter Christianos forte Mariæ virginitatem in partu dubiam faciunt illi, qui negant, eam clauso utero Christum peperisse, hunc ex aperto illius utero in lucem hanc editum, affirmantes. Qui namque contrarium sentiunt, ut sunt diversæ de eo Theologorum opiniones, asserto illo virginitati Matris derogari, perswasum sibi habent. Verum enim verò quemadmodum, miracula præter & extra Scripturam fingi, non licet; ita certissimum est, non quamlibet, quippe quæ variis à causis oriri potest, aperturam uteri tollere virginitatem. Ut, stante quamvis isthac opinione, nihilominus salvum maneat Augustini pronuntiatum: *Virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum illibata permanuit.* Atqui ex virgine Messiam, humani generis Salvatorem, qui est ipse Mariæ Filius, & nasci debuisse, & natum esse, Scriptura differtis apertissimisque testimoniosis indicat, certioresque nos facit. Statim ac à DEO lapsi primi homines erant, misericordia divina illis Redemptorem & à potestate Satanæ Liberatorem promittebat, promulgato Protevangelio, *Gen. III. 15.* de Semine mulieris caput serpentis contrituro. Cur, quæso, semen mulieris vocatur? nisi quod ex virgine, sine maris co-operatione semineque, nascendus eset. Quotquot enim naturali ratione generantur, non matris, sed patris semen in Scripturâ nuncupari solent. Inde LUTHERUS Tom. X. Wittenbergens. f. Auslegung des 1. B. Mos. b. 1. Es haben, scribit, die Weiber Kinder geboren bis auf die Sündflut, und nachtmals bis auf Mariam, Es hat aber ihr Same eigentlich nicht können genant werden, des Weibs Same, sondern vielmehr, des Mannes Same. Das aber aus Marien geboren wird, ist von dem Heiligen Geist empfangen, und ist wahrhaftig Marien Same. Sic *Ez. VII. 14.* Achaso, Regi Judæ, totique Domini Davidis, hoc in signum dabatur: *Ecce, virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabit nomen ejus Immanuel.* Quam Prophetiam Angelus Domini Josephum, Mariam sponsam suam, propterea quod gravida inveniebatur, clam dimittere meditantem, alloquutus repetiuit, eam in Maria jam nunc impletam ostendens,

dent, *Matth. I. 22. 23.* Atque hoc idem ille testatur Evangelista, v. 18. scribendo: *Desponsata matre ejus (Christi) Maria Iosepho, antequam illi congrederentur, inventa est in utero habens, ex Spiritu Sancto.* Quin & Maria, nuncium accipiens de conceptione Salvatoris in se, virginitatem suam ipsa contestabatur, Angelo eandem indicanti regerendo: *Quomodo fiet hoc; quoniam virum non cognosco?* Et *Ebr. VII. 3.* comparatur Christus cum Melchisedeco, etiam in hoc, quod, uti hic sine patre, sine matre, quatenus nimirum nusquam Scripturarum parentes ejus indicati inveniuntur; sic ille, quoad divinam natu-
 ram, sine matre, quoad humanam, sine patre sit, adeoque
 à virgine. Ut nihil ergo dubii nobis relinquatur, Christum
 Salvatorem nostrum & in utero intemeratae virginis conce-
 ptum, & ex illibata virgine natum esse. Num verò hæc e-
 jus ex virgine nativitas miraculosa meritò pronuntietur? di-
 spiciendum adhuc erit. Foeminam ex congressu maris con-
 cipere partumque proferre in lucem, quotidianum quid ac
 ordinarium est, quippe quod juxta Naturæ legem fit, seu or-
 dine cursuque naturali, vi institutionis illius & benedictio-
 nis divinae: *Crescite & multiplicamini, Gen. I. 28.* At virginem vi-
 rum nescientem, parere, à consuetâ Naturæ lege recedit, extra-
 ordinarium quid est, omnemque superat naturalem ordinem,
 & vires naturales excedit ut quam longissime. Quapropter
 istiusmodi virginem partum, non possumus non, quin su-
 pernaturalem atque miraculosum habeamus. Nam nec ul-
 lum eidem simile exemplum habemus, nunquam alias id o-
 lim factum est, nec in posterum futurum est unquam. Quod
 enim de Platonis, per celebris illius Philosophi, matre, Peri-
 etiona, vel Potona, quidam referre voluerunt, eam Apolli-
 nis compressu gravidam, cum virgo eset, filium hunc suum
 peperisse, fabulam magis redolet, quam ut unicuique pituita
 haud laboranti non subolere non possit. Nam genitorem
 Philosophi Aristonem, è genere postremi Regis Atheniensium,
 Codri fuisse, Historiæ testantur. Vid. DIOG. LAERTIUS
Vit. Phil. in Vit. Platon. init. Neque morabitur nos Simon ille
 Magus,

Magus, de quo legitur *Aet. IX. 15. seq.* quem Hæresiarcharum primum & principem, omniumque postea exortarum hæresium fontem ac coryphæum dudum antiquitas declaravit, qui, si CLEMENTIS ROMANI, ut inscribuntur, *Recognit. Lib. II. edit. Basil. 1526. p. 34* fides haberi potest, (nam dubia fidei hos Recognitionum libros esse, apud GERHARDUM Patrolog. p. m. 33. CAVEUM l. c. Sec. *Apostol. f. I. p. m. 14.* aliosque videri potest) mentitus fuit, matrem suam Rachelem, antequam cum Antonio, marito suo, convenisset, adhuc virginem, ipsum concepisse, cum suâ in potestate esset, vel parvum esse, vel magnum, & hominem inter homines apparere. Quis enim, cui sana contigit mens, id genus sibi fabulas persuaderi, patetur? Ad quas merito quoque referimus, cum è Pontificiorum grege, & Franciscanorum, immaculatam B. DEiparæ conceptionem acerriam, quin etiam figmentis fabulosisque narrationibus propugnantium, societate quidam, teste OSIANDRO *Hist. Eccles. Cent. XVI. Lib. I. Cap. 4.* *insulsi homines (ut habetur in Legenda Sanctorum)* fixerunt, virginem Mariam, non ex congreßu connubiali, sed tantiū ex osculo Joachimi, quod conjugi Anna fixerat, fuisse conceptam. Quodsi ergo nudum amorosum osculum conjugale virginitati non obest, Matrem Domini quoque virgineum partum dici posse, ambigendum non erit. Saltem extraordinarium quid fuisset, naturæ vires excedens, adeoque miraculosum, qvod sine dubio Scriptores *Geonreverſu* non reticuſſent, ſiquidem exinde argumentum quodpiam pro *ἀναμαρτυρίᾳ* Christi defumi potest. Verūm non eſt, cur Adversarii putent, non potuiffe Salvatorem ſine peccato originali nasci, niſi & mater ejus ab illius labe immunis extitifſet, ſi non per ſuperiores generationes ascendendo de ſingulis i- dem illud affirmare velint. Tantoque mintus cauſæ habent ejusmodi, riđenda quidem, non vero miranda, miracula, qua- le eſt Mariæ ex ſolo parentum ejus osculo mutuo conceptio, confingendi, ſi forte non & alia ſimilis conditionis ſomnia atque phantasmata nobis miranda obtiudere velint. Manet igitur nobis certissimum, neminem unquam, excepto Christo homine

homine, qui semen mulieris est, sine virili semine in hoc mundo ex virgine prognatum fuisse. At verò hanc nativitatem miraculosam esse, ceu diximus, dubium reddere conatus est, ut est ex Anglia semper aliquid in Theologia novi, Anglus quidam Medicus, BERNH. CONNOR. in *Evangel. Medici, s. Medicina Mystica, de suspensi Naturae Legibus, s. de Miraculis, Art. XI.* Præsupposito enim, quod Generatio nihil sit aliud, quam staminum in semine muliebri contentorum debita expansio & rarefactio fermenti maris prolifici virtute inducta. Præsupposito item, quod Corpus motum obvium corpus naturā suā aut vi instā non moveat, sed ipsum supremus Motor, ex irruentis corporis occasione, in motum solus vere concitet, quodque, cum expansio & rarefactio quedam sit motus species, spermaticus maris succus, cum semine muliebri commixtus illud non fermentet, aut expandat ratione motus ullius aut qualitatis, quam vere & proprio in stamina germinis à se transmitteret; sed, quod, ex occasione appulsus fermenti virilis summus Archetypus delineatas feminis fibrillas vere & immediata distendat, expandat, rarefaciat, porulos filamentorum dilatet, & ambientes seminis membranas & involucra ampliet, idque solus omne præstet ac immediata, sine ullo fermenti virilis appulsi, miscela, aut ope. Hinc idem eodemque modo DEUM in casta virgine operari posse, dicit, quam conjugatis: Ampliatis semel, inquiens, & motu cœlitus indito devolutis virginie seminis staminibus, Germen, eodem plane modo quo per naturalem in imprægnata conjugé generationem, in cœlibe & intacto uteri claustro incrementum sumet, & in embryonem, foetumque paulatim turgescet. Inde tandem concludit: Si quis secum rem rite totam perpenderet, videbit forsitan, quod non magis stupendum est, qvod Homo ex sola muliere generetur, sine viri commercio, quam quod ex maris & foemine congressu formetur; cum concursus viri sit tantum occasio, cur ipse supremus rerum omnium Parentis generet, qui est immediata, imo unica, utriusque phenomeni, & effectuum omnium causa. Hæc est illa Viri Philosophia, de cuius placitis atque suppositis Physicis statuere, Medicis à nobis relinquitur, num eadem S. Codici congrua sit? plaucis duntaxat inquisitur. Et quidem DEUM supremum hominum omnium Architectum & causam efficientem primam esse, dubitare

bitare nos non sinunt apertissima loca, *Job. X. 3, 8. - 12. Psalm. CXXXIX. 14. 15.* Ast immediatam eum nostri causam esse, tantum abest ut affirmet Scriptura, ut eidem potius contrarietur. Quid enim opus fuisset, duplicitis sexus creari homines, si DEUS solus eorum in foeminis propagationem operari voluisse? Cur conjugium sexuum instituisset, cum additâ illi, de se multiplicandis, benedictione? Cur scortationes, adulteria, omnemque vagam libidinem, ut peccata conjugio adversa, prohibuisset? Imò verò, Parentes non esse causam foetus duntaxat occasionalem, sed veros liberorum progenitores & causas, toties Scriptura testatur, quoties unius ab altero commemorat generationem. Certè Adamus, *Gen. V. 3.* quæ prima in genere humano generatio erat, non genuisset filium in similitudine suâ secundum imaginem suam, in oppositione ad similitudinem & imaginem DEI, ad quam ipse, v. i. primitùs factus erat, i. e. cum corrupta naturâ, sed DEUS corruptos homines produceret, si immediata ipse hominum esset causa. Qualis ergo foret querela Davidis, *Psalm. LI. 7.* quale assertum Christi, *Job. III. 6.* & dum omnes naturâ filii iræ sumus, *Epb. II. 2.* num DEus notales formavit? aut undenam aliàs in nobis est illud originale malum? Absit verò per omnem modum, id DEO sanctissimo perfectissimoque tribuamus: quod enim ille solus & immediate producit, id omne bonum perfectumque sit, oportet. Solum proinde Salvatorem nostrum ea prærogativa manet, quod solus ille secundum humanam suam naturam in virgine, sine maris cooperatione, & immediate à Spiritu S. productus: qua-propter ejus nativitatem meritò diximus esse miraculosam. Ut talem enim eandem prædictis *Esaias VII. 14.* Licet enim Judæi, Prophetiam hanc de Messia agere, negent, aliis eam de Ezechia Rege, aliis de ipsius Prophetæ filio interpretantibus, novimus tamen, Angelum ipsum, Christi prænuncium, dictum istud ad eum applicare, *Matth. I. 22. 23.* Et sufficienter judaicam illam cavillationem refutarunt MARLORATUS *Exposit. Ecclesiast. Propb. Es.* Nostrasque VARENIUS *Comment. ad b. l.* Sufficit nobis notasse, nomen filio nascendo imponendum, *Immanuel*, quod est translatum, *Nobisqum DEus*, neutri illorum, nec ulli mortali-

um, quoad rem denotatam, competere posse. Miraculum autem hominibus stupendum hic indicari, arguit Vaticinii scopus. Daturus enim Deus erat signum domui Davidis: quod si verò indefinite loquutus esset de puerō quodam ordinario Naturae cursu modove consueto nascendo, quale nam, quæso te, signo huic robur fuisse? Sanè res ipsa loquitur, Prophetæ de re nova & insolitâ, prout antecedentia v. II. 12, satis apertè arguunt, sermonem esse, prædicereque, virginem, non naturæ ordine, nec ordinaria ratione, sed ex singulari divinâ operatione, conceptu ram esse ac paritaram. Ut miraculosam, conceptionem hanc etiam describit *Jeremias XXXI. 22.* novum quid dicens in terra à DEO creatum, quod foemina circumdatura sit Virum. *Novum* scribit SEB. SCHMIDIUS *Comment. in Prophet. Jerem. b. I. i. e. singularē, inauditum, quod propterea hoc certius.* Et plane infallibile signum est, quod hodieque Judai non nisi negando & calumniando refutare possunt. Sed à detorcionibus eorum illud, cum DORSCHEO *Pentadec. Disp. III.* ipsemē solidè vindicavit, de Maria virgine Messiam concepturā Prophetam loqui, ostendendo. Indeque verborum: *Mulier circumdabit Virum;* emphasis sic exprimit: *Non semen Viri;* adeoque sine viro imprægnante. *Ipsa circumdabit:* nec ullus vir faciet, ut circumdet. Nec minus miraculosam hanc conceptionem afflavit ipsa Deipara Virgo Maria. Auditis namque verbis Angelicis: *Ecce, concipies in utero, & paries filium;* mirabunda regrebat: *Quomodo fiet hoc; quoniam virum non cognosco?* Nec Angelus ad ordinariam DEI in hominum formatione operationem provocabat, quasi Deus in illa non secus aliove modo ac in aliis conjugatis foetum producturus esset, sed ut prorsus extraordinarium quid atque Naturam superans rem istam totam describit: *Spiritus S. veniet super te: & virtus Altissimi obumbrabit te.* Ex quibus igitur omnibus sole meridiano clarius fit, partum illibata virginis supernaturem effectum divinum atque stupendum nobis omnino miraculum esse, quod negare velle, nimia temeritas & audacia ingenii humani judicandum. Nam nullum verisimilitudinis, saltem inter Christianos, speciem habens argumentum pro contrario in medium prolatum est, nec proferri poterit. Arenoso autem fundamento quod superstruitur dūcitur,

ædificium, facile corruere potest, & hypothesis falsis veritas non nititur. Sic itaque Salvator noster, & in Virgine conceptus, & à Virgine natus est, modo proinde supernaturali planeque miraculoſo. Quodſi jam forte quæratur: Cur verò D'Eus, Christum è Virgine nasci, voluerit? ſufficiet, speramus, ut breviores ſimus, cum DORSCHEO Septenar. Admirand. JES. Chr. Difſert. I. p. 54. respondiffe: Decuit D'Eum nova, inſolita & ſublimis generatio. Decuit incorruptionis largitorem corruptionem non inducere, nihilque incorruptionis autorem ortu ſuo corrumpere. Decuit ejus generationem in tempore eſe ſine pātre, cuius aeterna genitura fuīt ſine matre, ut ubique puriſima c̄fulgeret virginitas. Decuit eum, qui grande nativitatis noſtra uitum ſublaturus erat, ſupra communem naſcendi ordinem naſci. Decuit intemeratam eſe ejus conceptionem, à quo omnes sanctitatem accepturi.

Sed ad Vos iterum me nunc converto, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! Percepiftis haſtenus, Salvatorem noſtrum, qui ſimul in unitate personæ DEUS eſt & homo, Virginis Filiū m eſte, à DEO miraculoſo modo produclum, quippe quem mater virgo concepit, virgo perperit, quæ & virgo poſt partum illibata permanſit. Quid vero noſtri jam officiū ſit, quō meditationem iſtam noſtrum in uſum & ædificationem deducamus, docet nos, quem initio allegavimus, Patrum auguſtiſſimus, AUGUſTINUS. Ideoſcribit, Dominus noſter virgineum ſibi requiſiuit hofpitium habitiandi, ut nobis oſtenderet, in caſto corpore DEUM portari debere. Ad hoc enim DEUS hominem ſuſcepit in ſe, ut & nos DEUM fuſcipiamus in nobis, ſicut ipſe dixit, Manete in me, & ego in vobis. Qualem Fa-natici heic fingunt in nobis, nativitatem & inexistentiā Christi essentialē, ea Scripturæ non ſolū ignoratur, ſed repugnat, ideoque rejicienda eſt. Sed tamen habitat Christus in puris cordibus, verū per fidem, ut Paulus nos docet Eph. III. 16. Col. II. 5. 6. 7. quæ eſt unio myſtica, quâ cum fidelibus justificatis ſe DEUS ac Christus, modo quamvis incomprehensi-bili nobis ac ineffabili, unit, magnum myſterium A-poſtolo dicta, Eph. V. 32. cuius cognitio plenior futuræ de-mum vitæ reſervata, Job. XIV. 19. 20. Sed noſtis, CIVES! non eſſe iuſtitia cum iuſtitia commercium; qua propter peccata

peccata fugiatur, oportet, si Christum in nobis habitantem experiri volumus. Conceptus est Salvator in utero Virginis: virgines igitur & corda nostra, procul à profanis mundi complexibus, ei præbeamus, in quibus suscipiatur. Virgines nos ei fistamus castas & puras, purgatas per Spiritum S. ab omnibus inquinamentis seculi. Medium unionis Christi cum nobis, audivistis fidem esse; huic igitur, ope Spiritus, qui corda nostra sanctificat, adjuti studeamus, hanc consectemur, hanc & constanter retineamus. At nostis etiam, fidem, si vera illa est & non fucata, per charitatem, quo nomine Scriptura virtutes Christianas omnes complecttur, *Matt. XXII. 40. Rom. XIII. 8. 9. 10.* efficacem esse, *Gal. V. 6.* nec esse quamplam utilitatem, si fidem dicat quis se habere, opera vero non habeat, *Jae. II. 14.* Quamobrem eò connitamini, ut non in ore solum fidem geratis, sed eam etiam sanctis operibus demonstratis. Ita in vobis habitaturus est Christus, *Joh. XIV. 23.* Sed experientia nos docet, sacraque literæ confirmant, fidem, ac consequenter & effectum fidei non esse rem nostræ potestatis: idcirco præstitutis nobis à DEO fidei mediis utamur, necesse est. Hinc Verbum salutis, de Filio Virginis pro nobis nato, quod ejus Præcones nobis annunciant, non solum per hocce Festum diligenter, attente ac devote audiamus, verum & altius cordibus nostris insigamus, fideliter ibi custodiendum. Sic Christus ex Virgine natus, corde que virginio suscepimus, nos magis magisque semper ab omni, quam nostra nobis attulit nativitas, impuritate munda bit, donec nos virgines & immaculatos, ut habetur *Apoc. XIV. 4. 5.* secum in æterna coeli gaudia introducat. Interea doxologiam Angelicam & votum nostra faciemus, canendo:

Gloria in altissimis DEO,


& in terra pax,
in hominibus beneplacitum
esto!

P. P. sub Sigillo Rector. Academ.

Anno MDCCXXIX.

in ipsis Natalitiis DEI-Hominis ex Virgine nati.

¶ (o) ¶



edificium, facile corrue potest, & hypothesibus falsis veritas non nititur. Sic itaque Salvator noster, & in Virgine conceptus, & à Virgine natus est, modo proinde supernaturali planeque miraculoſo. Quodsi jam forte quæratur: Cur verò DEus, Christum è Virgine nasci, voluerit? sufficiet, speramus, ut breviores simus, cum DORSCHEO Septenar. Admirand. JEſ. Chr. Dissert. I. p. 54. respondiffe: Decuit DEum nova, insolita & sublimis generatione. Decuit incorruptionis largitorem corruptionem non inducere, nihilque incorruptionis autorem ortu suo corrumpere. Decuit ejus generationem in tempore esse sine patre, cuius aeterna genitura fuit sine matre, ut ubique purissima cffulgeret virginitas. Decuit eum, qui grande nativitatis nostra vitium sublaturus erat, supra communem nascendi ordinem nasci. Decuit intemeratam esse ejus conceptionem, à quo omnes sanctitatem accepunt.

Sed ad Vos iterum me nunc converto, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! Percepitis haec tenus, Salvatorem nostrum, qui simul in unitate personæ DEUS est & homo, Virginis Filium esse, à DEO miraculoſo modo producūm, quippe quem mater virgo concepit, virgo peperit, quæ & virgo post partum illibata permanſit. Quid vero nostri jam offici fit, quæ meditationem istam nostrum in usum & ædificationem deducamus, docet nos, quem initio allegavimus, Patrum augustinissimus, AUGUSTINUS. Idem, scribit, Dominus noster virginem sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet, in casto corpore DEUM portari debere. Ad hoc enim DEUS hominem suscepit in ſe, ut & nos DEUM ſuscipiamus in nobis, ſicut ipſe dixit, Manete in me, & ego in rebus. Qualem Fanatici heic fingunt in nobis, nativitatem & inexistentiam Christi essentialē, ea Scripturæ non ſolum ignoratur, ſed repugnat, ideoque rejicienda eſt. Sed tamen habitat Christus in puris cordibus, verū per fidem, ut Paulus nos docet Eph. III. 16. Col. II. 5. 6. 7. quæ eſt unio mystica, quâ cum fidelibus justificatis ſe DEUS ac Christus, modo quamvis incomprehensibili nobis ac ineffabili, unit, magnum mysterium Apostolo dicta, Eph. V. 32. cuius cognitio plenior futuræ demum vitæ reservata, Job. XIV. 19. 20. Sed nostis, CIVES! non eſſe justitia cum iuſtitia commercium; qua propter peccata

